

451. Serenità di Senofonte e Anassagora

Xenophon, cum sollemne sacrificium peracturus esset, cognovit e duobus filiis maiorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam in proelio cecidisse. Quamvis magno dolore affectus, putavit deorum cultum omittendum non esse, sed tantummodo coronam deposuit qua ornatus erat. Postea, percontatus quonam modo occidisset, cum audivit eum fortissime pugnans interisse, coronam capiti reposuit, numina, quibus sacrificabat, testatus maiorem se ex virtute filii voluptatem quam ex morte amaritudinem sentire.

Ne Anaxagoras quidem supprimendus est: audita namque morte filii: «Nihil mihi», inquit, «inexpectatum aut novum nuntias: sciebam enim illum ex me mortalem natum esse». Has voces utilissimis praeceptis imbutas virtus mittit. Quas si quis efficaciter auribus receperit, non ignorabit ita liberos esse procreandos, ut meminerit his a rerum natura et accipiendi spiritus et reddendi eodem momento temporis legem dici, atque ut mori neminem, qui non vixerit, ita ne vivere aliquem quidem posse qui non sit moriturus.

Valerio Massimo

452. La sconfitta dei Germani

Acie triplici instituta et celeriter itinere confecto, Caesar prius ad hostium castra pervenit quam quid ageretur Germani sentire possent. Qui omnibus rebus subito perterriti, in dubio erant utrum copias adversus hostem ducere, an castra defendere, an fuga salutem petere praestaret. Quo loco qui celeriter arma capere potuerunt paulisper nostris restiterunt, at reliqua multitudo passim fugere coepit; ad quos consecrandos Caesar equitatum misit. Germani, post tergum clamore audito, cum suos interfici viderent, armis abiectis signisque militaribus relictis, se ex castris eiecerunt et, cum ad confluentem Mosae et Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen praecipitaverunt, atque ibi timore, lassitudine, vi fluminis oppressi perierunt. Nostri milites ad unum omnes incolumes, se in castra receperunt. Caesar Germanorum legatis quos in castris retinuerat discedendi potestatem fecit. Illi supplicia cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros vastaverant, remanere se apud eum velle dixerunt.

Cesare, De Bello Gallico

453. Chi è il più beato degli uomini?

Solon, unus ex septem sapientium, cum Sardes olim venisset, in hospitio regis Croesi fuit. In eius regia potuit videre quantae divitiae essent, quantus splendor, quae magnificentia illius regis. Cum haec omnia Soloni ostendisset, tum Croesus, qui putabat se beatissimum omnium esse, ex eo quaesivit num quem beatiorem se vidisset. Cui philosophus: «Equidem Tellum Atheniensem beatiorem te vidi». Rex, valde miratus, quaesivit quisnam esset Tellus ille quem beatiorem se putaret. Cui Solon: «Ad vitam vere beatam existimandam parum valent divitiae, quibus certe te abundare video. Puto Tellum beatiorem te fuisse, quia usque ad finem vitae suae beatus fuit. Nam, cum praestantes et probos filios haberet multosque nepotes, quos omnes superesse vidit, uxorem venustam ac bene moratam, opes modicas sed quae ad victum sufficerent, post longam vitam gloriosissimam mortem pro patriae libertate pugnans occubuit. At tua vita qualis futura est? Qui eventus te manent tempore venturo? Solum ubi ad finem vitae perveneris, tum iudicari poterit num vere beatus fueris».